Sechster Jahresbericht

des städtischen

Kathol. Gymnasiums zu Beuthen o/s.

über das

Schuljahr 1871—1872,

durch welchen zur

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und zur

Schluß-Feier am 14. und 15. August

ergebenst einladet

Dr. W. C. Kayser,
Direktor.

Inhalt:

1) **De Carminum in libro numerorum (cap. XXI) reliquiis, interpretationibus antiquis et cum verbis masorethicis et inter se collatis, scripsit Carolus Flöckner.**
2) **Schulnachrichten.** Vom Direktor.

Beuthen o/s., 1872.
Buchdruckerei und lithographische Anstalt von Moritz Böhm.

DE CARMINUM IN LIBRO NUMERORUM (CAP. XXI) RELIQUIIS, INTERPRETATIONIBUS ANTIQUIS ET CUM VERBIS MASORETHICIS ET INTER SE COLLATIS.

SCRIPSIT
CAROLUS FLOECKNER.

من يتولّى امرا فان لم يعضده
الّذى هو ارفع منه واشدّ منه فما له
قدرة على خدمته ولا منفعة لروحه ۞
۞ امثال لقمان الحكيم fabulae Loqmani sapientis.

Si verum est illud Delitzschii, non solum omnem rerum historiam, prophetiam, sapientiam (חָכְמָה) denique, sed etiam totam Hebraeorum poëticen in lege Mosis, i. e. in pentateucho positam esse ab eoque profectam postea incrementa cepisse quam maxima: dubitari non potest, quin universa, quae apud Hebraeos vigebat, poësis nobis obscura sit et quasi velata, sicuti Mosis quondam facies velata erat, nisi pentateuchi carmina accuratius consideravimus recteque intelleximus. Neque mirum, quod in quinque illis libris a Mose compositis non minus, quam in omnibus fere, quae prima ac vetustissima in populorum orientalium literis inveniuntur, tantum valet poesis, quantum phantasia, quam vocant, apud orientis nationes praevalet. Omni enim poësi ex populorum animis tanquam ex fontibus altissimis manante, ea omnino ratione literae quodam modo adolescere solent, ut vox poëtica solutam antecedat eaque vox populi, ex qua postea ars poëtices oriatur. Itaque sicut in Rig-veda, vetustissima illa literarum ad religionem pertinentium apud Indos collectione, plus mille hymni inveniuntur, ita pentateucho quoque partes poëticae plures insertae sunt. Ex quibus ut reliquias carminum, quae in libri Numerorum capite XXI leguntur, tractandas nobis proponamus, praecipue vetustate prisca animus noster allicitur, qua illas esse pauci tantum iique immerito negavere. Demonstrabimus enim, carmina Mosaicae aetati esse aequalia, neque multo post illam literis mandata, quo fit, ut vetustate aequent fere notum illum Schi-king, cujus partes primae saeculo a. Chr. n. decimo quarto ortae sunt, et Vedarum hymnos, mille quingentis annis a. Chr. n. editos. Sed non solum, qua sunt vetustate, digna ea judicavimus, in quae diligentius inquiratur, magis etiam nos illud movit, quod nemo recentiorum interpretum ea per se et in omnes partes tractavit, quamvis multis sint magnisque difficultatibus. Ad quas tollendas Bleekius quidem nonnulla attulit, de reliquiarum aetate atque indole in introductione ad V. T. edita disputans, haud omnia recte et caute. Atque tantum abest, ut nostri aevi viri docti ad rationem criticam ipsum carminum textum emendaverint, ut verba conjecturis vexata saepius majore etiam obscuritate involuta lateant. Quare operae pretium nobis videtur esse, ipsa scriptoris verba critica ratione ita tractare, ut ex interpretationibus[1]) antiquis,

[1]) Interpretationes adhibuimus hasce: a) Syriacam pentateuchi, quam ex polyglottis Anglicanis summa fide edidit G. G. Kirsch, Lipsiae 1787. b) Alexandrinam a Leandro van Essio juxta codicem

quas aequo plus recentis aetatis interpretes negligere solent, diligenter collatis quum cognoscere studeamus, qualis prima sit ac vera orationis contextae forma, a Masorethis, qui dicuntur, dubie et incerte expressa, tum, ubi illud fieri non potest, investigemus, quaenam ratio inter versiones et verba masorethica intercedat. Hoc quoque modo nos carminibus interpretandis et explanandis aliquid lucis afferre posse nobis persuasum est.

Disputandi autem ratio haec est, ut, quum breviter explicaverimus, ex qua serie sententiarum connexa reliquiae aptae videantur, primum ratione critica textus recenseatur et cum versionum conferatur, deinde, quanam sint indole et ad quid spectent, tertio, cujus aetatis sint, quaestio instituatur.

I.

Ac primum quidem quae facta sint Israëlitis duodetriginta annos Kades-Barneae versantibus, in libro Numerorum nulla prorsus fit mentio; eam fortasse ob caussam, quod minus valuerunt ad historiam revelationis divinae. Refertur autem nunc, quo modo illius aetatis homines, quorum erat assequi, quod patribus propter ipsorum culpam deus denegaverat, ad terram promissam expugnandam a Mose ducti sint. Proficisci coeperunt Israelitae annis quadraginta postquam ex Aegypto discessere. Sed mox aquae inopia pressi sunt valde (Num. XX). Miraculum illud, quo deus e saxo aquam elicuit, non solum ea mente editum est, ut corpora recrearentur, sed animi etiam. In monte Hor prope Kades-Barneam sito Aaron moritur, quem populus triginta dies luget. At quanquam victoria a rege Aradi in Palaestina ad meridiem spectante reportata animi erecti sunt, statim defecere, quum commeatus deficeret. Edomitis enim impedientibus, quominus Moses ipsorum fines transgrederetur, Israëlitae magno circuitu uti coacti erant denuoque ad meridiem versus proficisci. Tunc tanta exstitit inter eos animi demissio ac tristitia, ut recenti miraculo opus esse videretur. Qui a serpentibus, quos dicunt ardentes (שרפים) morsi erant, serpentem illum elevatum aspicientes, consanuerunt. Qua re gesta populus ita animo affectus erat, ut finem propositum alacrius persequeretur. Edomitae, quibus parcere debebant Israëlitae non minus quam Moabitis, utpote qui gens consanguinea essent, transitum recusantes iter retardarunt quidem, non impedierunt. Quorum fines circumiens Moses gentem ad fluvium Sared (Num. XXI, 14) et ad Pisgam montem perduxit. A rege Amoritarum quoque, cui nomen Sihon erat, et a

Vaticanum editam. c) Arabica, quam nonnullis locis adhibui, illa est pentateuchi, quam saeculo XIII p. Chr. n. a Judaeo quodam in Africa septentrionali vivente conscriptam esse verisimile est. Qui scriptor quanquam neque fide neque studio Saadiam aequat, cujus interpretationem frustra anquisivi, tamen non sine omni linguae scientia eam composuit. In lucem prolata est ab Erpenio, Lugd. Bat. a. 1622, hunc in modum inscripta: توراة موسى النبّى عليه السلام d) Magno mihi fuit adjumento targum ille Babylonicus Onkelosi, fortasse etiam a. Chr. n. collectus, cui quidem laus traditionis magna fide servatae debetur ita, ut inter παραφράσεις Chaldaicas primas partes obtineat. e) Vulgata denique usus sum, quae, ut praetermittam dignitatem ei ab ecclesia catholica tributam, etiam ob receptionem Judaeorum accurate expressam magni aestimanda videtur. — Pseudo-Jonathanum paraphrasten Palaestinensem consulere sprevi. A verbis enim ut omnino, ita his locis tantum ad fabulas opinionesque fictas aberrat, ut fere nihil emolumenti ad crisin pertinentis ex eo requiri queat. Veluti in iis, quae ex tertio carmine restant (v. 27. sq). vocem חשבון non nomen proprium sed appellativum esse ratus (חשב, computavit), de ratione reddenda lato sermone dicit, ex quo errore cogitationum quasi series apta est, quarum ne una quidem verbis biblicis nititur.

rege terrae Basaniticae Og victoriae reportatae sunt non longo temporis intervallo distantes iisque animi ita inflammati, ut juvenili alacritati atque ardori et res gestas et animorum sensus versibus persequi tam aptum videretur esse, quam simplex.

Leguntur enim in cap. XXI v. XIV et XV, postquam versu praecedenti narratum est, Israëlitas Arnone trajecto castra posuisse fluvio fines inter Emoritas et Moabitas constituente: עַל־כֵּן יֵאָמַר בְּסֵפֶר מִלְחֲמֹות יְהוָה אֶת־וָהֵב בְּסוּפָה וְאֶת־הַנְּחָלִים אַרְנֹון׃ וְאֶשֶׁד הַנְּחָלִים אֲשֶׁר נָטָה לְשֶׁבֶת עָר וְנִשְׁעַן לִגְבוּל מֹואָב׃ quae quidem interpretanda sunt, si Masoretharum vestigia sequi velis: Hinc dicitur in libro bellorum domini: apud Vahebum in Supha et apud torrentes Arnonis; et defluxus torrentium, qui labitur ad habitationem Aris et terminis terrae Moabiticae innititur. Jam translationes veterum collaturi, quatenus ad versum XIV spectant, haec invenimus LXX interpretum verba: *διὰ τοῦτο λέγεται ἐν βιβλίῳ· πόλεμος τοῦ Κυρίου*[1]) *τὴν Ζωὸβ ἐφλόγισε καὶ τοὺς χειμάῤῥους Ἀρνών.* Unde elucere videtur, eos pro והב legisse זהב neque aliter vertisse, quam si nomen proprium ducendum esset (*Ζωόβ*); סופה autem quum a legum grammaticarum intelligentia accuratiore abhorrentes pro gerundio haberent verbi סוּף, in graecum *ἐφλόγισε* transtulerunt. Vulgata quoque a Masorethis longe recedit, quippe quae habeat: Hinc dicitur in libro bellorum domini: sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Apparet, Hieronymum non solum סופה voce prorsus aliena סוּף (ים סוּף) confudisse, sed etiam vocabula אֶת־וָהֵב conjungenda inter se judicasse, ita ut esset ex dialecto Aramaea forma, quae vocatur Ethpaal verbi והב, ܝܗܒ, وهب, (dedit, manifestavit se), quam quidem non accurate transtulit in „fecit". Syri autem verba inveniuntur haecce: ܫܠܗܒܝܬܐ ܒܥܠܥܠܐ ܡܥܠܥܠܬܐ ܘܒܢܚܠܐ ܕܐܪܢܘܢ, i. e. flamma in tempestate turbulenta et in torrente Arnon. Quoniam והב in Syriacam linguam convertens dicit ܫܠܗܒܝܬܐ, equidem conjiciendum esse statuo, legisse eum idem, quod Alexandrini זהב, צהב (splenduit instar auri, *Ζωόβ*). Arabs Erpenii nullo prorsus modo aptus videtur, qui versum perobscurum illustret, quum vocabula Hebraïca tanta reddat vel potius retineat anxietate, ut ex hoc intelligere possis, ne intellecta quidem ab eo esse, quae ipsi transferenda erant; scribit enim: وهب في سوفة ومع اودية[2]) ارنون۞ Ut denique Onkelosum consulam, chaldaïce versum ita reddentem: על כן יתאמר בספרא קרבין דעבד יי על ימא דסוף וגבורן דעל נחלי ארנון q. e.: Unde dicuntur in libro bella, quae Jova ad mare rubrum gessit et facinora, quae ad torrentes Arnonis perfecit e. q. s.; quicunque utriusque dialecti et Hebraicae et Chaldaicae gnarus est, ne hoc quidem verbis biblicis convenire, mox intelliget. Onkelosus quoque, cujus sententiam Hieronymum amplexum esse mihi verisimile est[3]), את־והב formam reflexivam verbi והב judicavit. Cetera non tam vertit, quam pluribus verbis exponit, ita quidem, ut, etiamsi ea addideris, quae apud illum sequuntur, nihilominus partem alteram (v. XV) cum altera (v. XIV) vix queas in unius sententiae formam redigere. Quae quum ita sint, concedere coacti sumus, e versionibus compositis fere nil certi ac perspicui ad tenebras versus XIV. tollendas erui. Quod enim interpretes tam longe a pentateucho aberrant, hoc ex mea quidem sententia non eo referendum est, quod alias literas consonantes legerint, sed quod scriptas male intellexerunt. Postquam

---

1) De quibus verbis vide infra, ubi disputatio de ספר מלחמות יהוה instituetur.

2) Plural. vocis واد, locus depressior inter montes collesve, vallis (Freytag).

3) Uterque סופה intelligit mare rubrum.

rem diu ac diligenter perpendi, ne hoc quidem credo, Hieronymum et Onkelosum in ea re consentientes, ut את־והב unam vocem exprimant, primae lectionis autores censendos esse et quanquam in nonnullis etiam codicibus Kennicottianis verba inter se in unum conjuncta legi non ignoro[1], tamen Masoram parvam (מסרה קטנה) sequor annotantem, את והב תרין מלין כתיבין, idque his nisus argumentis. Ac primum quidem, quum את־והב in duo vocabula disjunctum lectio sit difficilior, multo magis veri simile est, Masorethas illud ita traditum recepisse, quam conjunctum invenientes sua sponte mutavisse lectionem, quae in nulla intelligentiae difficultate versabatur. Interpretes contra, qui lectionem receptam את־והב non intellegebant, cui mirum, quod conjiciendo corrigere eam conati sunt? Accedit, quod Hieronymo et Onkeloso inter se consentientibus Syrus et Alexandrinus obstant verba quasi dissuentes. Atque, si Ethpaal verbi והב, quod in lingua Aramaea tantum et Arabica usurpatum esse scimus, in Hebraea minime, nil significat nisi: dedit se, manifestum se fecit, omnino ad sententiam v. XIV. exprimendam hoc vocabulo non opus erat, quoniam idem dicitur, si copulam היה audis. An היה בסופה aliud dicit, quam אתוהב בסופה? Parallelismo denique membrorum, qui dicitur quique in poësi Hebraica tanta observatur diligentia, voces את והב respondere vocibus ואת־הנחלים ארנון, quis non videt? Ex hoc autem והב quoque nomen proprium loci esse evincitur. Quam ob rem והב neque nomen fuisse credo regis Moabitarum — id quod nonnulli volunt — nam qui ita sentiunt, justo audacius סופה in סיחון mutant (Vahebum vicit Sihon); neque את in contra vertere mihi placet, quod quin in altero hemistichio apud significet, non est dubium; neque est, cur Grotii conjecturam minime comprobandam amplectar legamque מואב, non והב (contra Moabum feliciter gestum est); minus etiam placet cum Michaële audaciore legere אתו הב, cum eo ventus (collato Arabico هَبّ flavit). Ejusmodi enim opinionibus profecto rationes non diluuntur, supra a nobis allatae, quibus textum Masorethicum defendendum esse demonstretur. At noli objicere, locum והב nominatum nusquam in V. T. inveniri. Mentio enim fit vici מתנה inter desertum et fines Moabitarum siti. Quoniam autem מתנה (נתן) ejusdem notionis est, cujus והב, facillime fieri potuit, ut, qui locus ab Hebraeis מתנה appellabatur, eidem a primis Palaestinae incolis nomen Aramaicum והב datum esset. Quae postquam disputavimus, sententiae subjectum esse יהוה copulamque audiendam apparet, ut versus XIV optime in hunc modum vertatur: Apud Vahebum (i. e. Mattanam) et apud torrentes Arnonis Jova in turbine erat, quod significat, majestatem suam terribilem Jovam patefecisse, qui Israelitas cum Amoraeis pugnantes fortiter adjuvisset. Ceterum nil impedit, quin סופה collato Syriaco ܣܦ (sustulit, elevavit[2]) etiam in exstinctionem transferamus: Apud Vahebum dominus delens erat prosternensque hostes populo suo electo obstantes.

Jam vero liceat, ad versum decimum quintum ratione critica recognoscendum transire. Prima est quaestio, utrum carmini adjungendus sit, an eo consilio a scriptore additus, ut regio, de qua versus XIV dicit, accuratius describeretur. Ad orationis contextae formam, quam Masorethae expressere, si spectatur, versum ad carmen non pertinere tota ejus indole ab omni poësi plane abhorrenti facile evincitur. Leguntur enim in bibliis, quae latine ita fere reddas: Et defluxus torrentium,

---

[1]) Kimchius quoque testatur, in veteribus libris inveniri אתוהב.

[2]) Cf. latinum tollere. Arab. ساف conj. VIII.

qui se vertunt ad habitationem Aris finibusque Moabiticis nituntur — profecto perobscura et reliquiarum speciem prae se ferentia. Itaque denuo interpretes veteres audiamus. Alexandrinus habet: *καὶ τοὺς χειμάῤῥους κατέστησε κατοικίσαι Ἢρ καὶ πρόςκειται τοῖς ὁρίοις Μωάβ.* Loco τοῦ אֶשֶׁד, defluxus, legerunt אשר direxit, *κατέστησε,* נִשְׁעָן non conjunxerunt cum voce אשד, ad quam solam referendum est, sed cum עָר, *Ἢρ,* לְשֶׁבֶת denique non pro substantivo, sed pro mero verbi ישׁב infinitivo habentes in Graecum *κατοικίσαι* convertere. Vulgatus textus est: Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar et recumberent in finibus Moabitarum, unde colligendum puto, Hieronymum לְשַׁבַּת a radice שׁבת (سبت conj. IV) duxisse. Syrus quoque ita reddit, ac si אשׁר legerit, ר pro ד, haec habens: ܘܐܠܦ ܢܚܠܐ ܕܪܟܝܢ ܗܘܘ ܠܡܬܒܐ ܕܥܡ[1]) ܘܡܣܬܡܟܝܢ ܗܘܘ ܥܠ ܬܚܘܡܐ ܕܡܘܐܒܝܐ et direxit torrentes, qui se inclinabant ad habitaculum Aris et termino Moabitarum nitebantur. Targum chaldaicus is est, ad cujus auctoritatem Masorethae se contulerint: וּשְׁפַךְ נַחֲלַיָא דְמִדַבְּרִין לְקֳבֵל לְחֵית וּמִסְתְּמִיךְ לִתְחוּם מוֹאָב et defluxus torrentium, qui ad urbem versus delabuntur quique (defluxus) nititur finibus Moabitarum. His collatis, num judicandum est, in nonnullis codicibus iisque prioribus lectum esse אשר pro אשד? Equidem nego. Duo illi testes integrae Judaeorum traditionis, Onkelosus et Hieronymus, qui אֶשֶׁד habent, suspicionem movent, Alexandrinum itemque Syrum in librarii mendum incidisse. Quum enim Hieronymus[2]) etiam veterem Hebraeorum scripturam perexiguam esse ac nimis oculos laedentem contenderet, antiquis illis temporibus literae ר et ד nunc quoque simillimae facilius et saepius confunderentur necesse erat. Consonantes igitur quum literas servandas esse statuam, tamen vocalium notis leviter tantum mutatis altera pars cum altera tam arte connectitur tamque multo oratio exsistit magis poëtica, ut conjecturam hanc viris doctis examinandam proponere audeam: אֹשֵׁד participium poël pro אֶשֶׁד legendum. Quae particula ו praecedit, ea facillime oculis librarii errantibus et ן in voce אַרְנוֹן repetentibus textui potuit addi. Constat enim inter eos, qui historiae linguae Hebraeae periti sunt, LXX interpretum etiam aetate literas, quae finales dicuntur, defuisse. Itaque in veterrima scriptura non ן inveniebatur, sed נ simplex, ad cujus formam ו quam proxime accedit. Praeterea אֶשֶׁד illud in dialecto Hebraea[3]) est *ἅπαξ λεγόμενον,* ex quo perspicuum, notas vocales, quas Masorethae radicalibus apposuere, minime certas firmasque judicandas esse. Licet igitur sine ulla dubitatione, eas mutare. Legentes autem אֹשֵׁד participium ad יהוה illud referimus, qui ex nostra quidem sententia in utroque versu subjectum censendus est, quo fit, ut sententia exsistat ea: Apud Vahebum et apud torrentes Arnonis in majestate sua erat is, qui effudit fluvium ad urbem Ar labentem finesque terrae Moabiticae praeterfluentem. Non repugnat conjecturae meae numerus singularis נָטָה, quoniam torrentes unus fluvius Arnon intelligendi sunt confluentibus הַנְּחָלִים ortus; et si forte quispiam mihi ita adversetur, ut objiciat, participium modo supra allato cum nomine conjungendum semper articulo instructum esse, vehementer errat. Habet enim participium, etiam per se respectum, relationis vim, quanquam in soluta oratione ei plerumque articulum, quotiescunque locum tenet sententiae relativae, addi con-

---

1) Legendum sine dubio ܥܪ, non ܥܡ.

2) Proleg. ad Ezechielem XX.

3) Chaldaicum אשׁד, Syriac. ܐܫܕ effudit, inveniuntur saepius.

cedo. Ewaldius, quem, qua est ingenii acie ac subtilitate, in intimas, ut ita dicam, leges linguae Hebraicae penetrasse nemo neget, idem de participii usu sentit.[1])

Postquam versu ejusd. cap. XVI edocti sumus, Israelitarum populum in terra transjordanensi proficisci pergentem ad puteum pervenisse, nunc inveniuntur, quae secundo loco exstant, reliquiae, magis quidem perspicuae ac dilucidae, quam quae praecedunt et sequuntur. Ob id ipsum neque tot neque tantas difficultates crisi opponunt, quare brevius de iis disserere nobis liceat. Tunc, dicitur versu XVII, cecinit Israel canticum hocce: Ascende putee, accinite ei, puteo, quem foderunt nobiles, quem cavaverunt principes populi sceptro et baculis suis et ex deserto — pergit autor itinera describere — Mattanam (venerunt). Cum his V. T. verbis componere liceat Syri: ܣܩܝ[2]) ܒܐܪܐ ܥܢܘ ܠܗ ܒܐܪܐ ܕܚܦܪܘܗ ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܘܟܪܘܗ ܪ̈ܫܢܐ ܕܥܡܐ ܘܚܘܝܘܗ ܒܫ̈ܒܛܝܗܘܢ ܘܡܢ ܡܕܒܪܐ ܐܬܝܗܒܬ ܠܡܬܢܐ Ascende putee, respondete ei, puteo, quem cavaverunt principes et foderunt praefecti populi indicaruntque baculis suis; et ex deserto Mattanam datus est. Quod Syrus reddidit ܚܘܝܘܗ indicarunt eum, sine dubio Hebraicum est מחקק, sceptrum. Qua re animadversa conjectura videtur facienda, interpretes, a quibus Peschito composita est, aut re vera legisse aut vertisse ac si legissent non במחקק, sed ומחקק. Si autem וממדבר מתנה in Syriacum convertunt ܘܡܢ ܡܕܒܪܐ ܐܬܝܗܒܬ ܠܡܬܢܐ, quum aperte verbum באר sit supplendum, nemo est, qui dubitet, quin ܐܬܝܗܒܬ illud nil sit, nisi glossa. Apud Alexandrinum deinde invenis: *Τότε ᾖσεν Ἰσραὴλ τὸ ᾆσμα τοῦτο ἐπὶ τοῦ φρέατος· ἐξάρχετε*[3]) *αὐτῷ φρέαρ· ὤρυξαν αὐτὸ ἄρχοντες· ἐξελατόμησαν αὐτὸ βασιλεῖς ἐθνῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῶν, ἐν τῷ κυριεῦσαι αὐτῶν· καὶ ἀπὸ φρέατος εἰς Μανθανείαν·* tunc cecinit Israel canticum hocce de puteo: „Accinite ei, puteo, cavaverunt eum principes, effoderunt eum reges populorum, quum regnarent, quum dominarentur; et ex puteo Mattanam.“ Versio profecto ea, quam nemo intelligat, si graecae tantum, non idem hebraicae linguae sit peritus. Primum dubitari nequit, quin lectio *ἀπὸ φρέατος* pro *ἀπ' ἐρήμου* a LXX interpretibus sit emendata, ergo principalis non ducenda. Nihilominus inter recentes Rosenmueller quoque, quem cautum textuum investigatorem colo, ita legendum suspicatur, sed immerito. Cui conjecturam suam ita probanti, ut nusquam versibus praeeuntibus desertum commemorari animadvertat, equidem illud objicio, quod notione vocabuli מדבר latius patente totam illam regionem trans Jordanum sitam desertumque tangentem hoc nomine appellare licebat. Verba במחקק et במשענתם non bene LXX intellexere, quod quidem eo minus mirandum videtur, quo plures nostri etiam aevi homines docti, parallelismum laedentes, במחקק cum legislatore i. e. cum Mose vertunt, nulla prorsus ratione habita clarissimi illius loci genes. 49, 10, in quo מחקק *τῷ* שבט respondere apertum. Sed et illo et hoc loco LXX nomen abstractum esse rati sunt, unde versio *ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῶν*. Quanam autem ratione explicari potest, quod במשענתם interpretati sunt *ἐν τῷ κυριεῦσαι αὐτῶν*? Hoc nescio an inde deducendum sit, quod inter notiones principis (*κύριος*) et adminiculi civitatis[4]) est cognatio quaedam,

---

[1]) Lehrgebäude, p. 809: Das Participium hülle in der Poesie auch ohne Artikel das Verbum finitum in den Begriff der persönlichen Beziehung ein.

[2]) Radix dubia pro ܢܒܥ effudit se, vel a ܣܠܩ ducendum, elisa litera ܠ.

[3]) Apud Plutarchum *ἐξάρχειν παιᾶνος*, apud Homerum *μολπῆς*.

[4]) Cf. Jes. 3, 1.

quanquam lingua Hebraea vocem מִשְׁעֶנֶת baculum cum מִשְׁעָן non commiscet. Pro „ascende putee“ denique exhibent *ἐπὶ τοῦ φρέατος*, legentes praepositionem עַל, non עֱלִי et verba עַל בְּאֵר connectentes cum אָז יָשִׁיר יִשְׂרָאֵל. Hieronymus quanquam Alexandrinis se socium quodammodo applicat ita, ut eorum verba aliqua saltem ex parte emendarit, tamen ipse quoque a Masoretharum textu accurate reddendo abducitur et inter eum atque Alexandrinum quasi haesitat animique fluctuat, utpote qui habeat: Ascendat puteus, concinebant (proinde ac si traditum sit עָנוּ, non עֱנוּ), puteus, quem foderunt principes et paraverunt[1]) duces multitudinis in datore legis et in baculis suis. Ut autem plerosque, ita hunc quoque locum optime ad traditionis Judaicae fidem Onkelosus hisce expressit: בְּכֵן שַׁבַּח יִשְׂרָאֵל יָת תֻּשְׁבַּחְתָּא הָדָא סְקִי בֵירָא שַׁבַּחוּ־לַהּ׃ בֵּירָא דְחַפְרוּהָ רַבְרְבַיָּא כְּרוּהָ רֵישֵׁי עַמָּא סָפְרַיָּא בְּחֻטְרֵיהוֹן וּמִמַּדְבְּרָא אִתְיְהִיבַת לְהוֹן׃ Tunc cecinit Israel canticum hocce: Ascende putee, accinite ei, puteo, quem principes foderunt, cavaverunt praesules populi, scripturarum periti stilis suis — et ex deserto eis datus est. — Si rem leviter tantum attingas, Syriacum illud ܠܡܬܢܐ Chaldaico אִתְיְהִיבַת respondere nescio an judices, attamen aliquantum est discrimen. Onkelosus enim מַתָּנָה nomen appellativum „donum“ intellexit ob eamque rem vertit: Israelitis e deserto datus est puteus. E contrario Syrus, qui nomen proprium retinet, illud ܠܡܬܢܐ mere audivit. In hoc tantum inter se consentiunt, quod pro בּ in בִּמְחֹקֵק particulam וְ legisse videntur. Unde tamen quominus conficias, ejusmodi consensum *τῷ* וּמְחֹקֵק testimonio esse verae lectioni, obstant et LXX et Vulgatus, in quibus illud בּ dilucide sit expressum (*ἐν τῇ βασιλείᾳ*, in datore legis). Ceterum paraphrastes Chaldaicus proprio ac fere miro modo participium מְחֹקֵק percepisse videtur, quippe cui in mentem venerint leges divinae (חֻקּוֹת יְהוָֹה), quarum doctores et investigatores essent הַמְּחֹקְקִים. Vertit igitur: סָפְרַיָּא et ut sibi constet בְּמִשְׁעֲנֹתָם: בְּחֻטְרֵיהוֹן stilis suis. — Rei autem summa haec est, ut, quum discordias, quae ortae sunt inter antiquas interpretationes et textum Hebraicum, non a lectionum discrepantia, sed a sententia perperam saepius percepta profectas esse cognoverimus, persuasum nobis habeamus, quae in libro Numerorum inveniuntur, ea textum integrum et genuinum esse agnoscenda. Quod quidem concedet, quicunque cantiunculam etiam minus accurate legens sententiae perspicuitatem intuitus est tantam, ut nihil in verbis suspecti inveniri possit.

Verumenimvero in iis reliquiis, quas versus 27—30, imprimis v. trigesimus complectuntur, veterum translationes tam mirum in modum a Masorethis discessere, ut equidem mihi persuasum habeam, id non solum tribuendum esse scientiae legum primarum ad linguam pertinentium exiguae ac minus accuratae, quam nostro jure Alexandrinis, ut exemplum afferam, vitio vertimus, sed nonnullis saltem locis textum non esse integrum. Quatenus nobis contigerit, ut rem tantis quasi tenebris obrutam aliqua ex parte ad liquidum perduceremus idque veteribus illis traditionis testibus consultis, viri docti benigne judicent atque indulgenter.

Ac primum textum bibliorum, si et radicales et vocalium notas servandas statuamus, non aliter licet convertere nisi hunc in modum: Hinc dicunt parabolistae: Venite Chesbonem; restauretur ac muniatur urbs Sihonis. Etenim ignis exarsit (si ad verbum vertas: exiit) Chesbone, flamma ex oppido Sihonis, quae consumpsit Arem

---

[1]) Variae lectiones vulgatae mihi non sunt prae manibus. Tamen credam, librariorum mendo evenisse, ut paraverunt vox in contextum minus cadens (pro cavaverunt) textui quasi obreperet.

Moabitarum eosque, qui loca excelsa ad Arnonem sita incolebant. Vae tibi Moab; periisti, popule Kamosch, qui filios suos profugos reddidit ac filias in captivitatem duci sivit a Sihone, Amoraeorum rege. Itâque jaculis eos interfecimus, ut periret Chesbo usque ad Dibonem et vastavimus usque ad Nophachum, quae Medbam vergit. Apud LXX autem reperimus: *Διὰ τοῦτο ἐροῦσιν οἱ αἰνιγματισταί· Ἔλθετε εἰς Ἐσεβὼν, ἵνα οἰκοδομηθῇ καὶ κατασκευασθῇ πόλις Σηών· ὅτι πῦρ ἐξῆλθεν ἐξ Ἐσεβὼν, φλὸξ ἐκ πόλεως Σηὼν καὶ κατέφαγεν ἕως Μωὰβ καὶ κατέπιε στήλας Ἀρνών· Οὐαί σοι Μωάβ· ἀπώλου λαὸς Χαμώς· ἀπεδόθησαν οἱ υἱοὶ αὐτῶν διασώζεσθαι καὶ αἱ θυγατέρες αὐτῶν αἰχμάλωτοι τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀμοῤῥαίων Σηών· καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται, Ἐσεβὼν ἕως Διβὼν καὶ αἱ γυναῖκες ἔτι προςέκαυσαν πῦρ ἐπὶ Μωάβ.* I. e. propterea dicent parabolistae: Venite Chesbonem, ut exstruatur et muniatur urbs Seonis; nam ignis Chesbone exiit, flamma ex urbe Seonis, quae combussit usque ad Moabum consumpsitque statuas Arnonis. Vae tibi Moab, periisti popule Chamos. Venditi sunt filii eorum, ut servarentur et filiae eorum captivae regi Amoraeorum Seoni. Ac semen (posteri) eorum peribit, Esebon usque ad Dibonem et mulieres ignem etiam in Moab incenderunt. Manifestum est igitur, vertisse eos יֹאמְרוּ in futurum *ἐροῦσιν*, quanquam hîc sine dubio in sententiam aoristicam accipiendum est, תִּבָּנֶה in *οἰκοδομηθῇ*, quanquam ex eo, quod cum synonymo תִּכּוֹנֵן conjunctum est proximeque accedit ad Syriacum ܒܢܐ, quae vox et aedificare et restaurare significat, facile evincitur, restaurandi notionem, melius etiam in contextum quadrantem, eligendam esse. Loco *τοῦ* עָר מוֹאָב habent עַד מוֹאָב ad oculorum lapsum quendam ducendum. Pro בַּעֲלֵי domini eos opinatos esse conjicio se legere וּבָלַע et deglutivit, *καὶ κατέπιεν.* בָּמוֹת autem haud secus reddunt, ac si scriptum sit בָּתֵּי־בָמוֹת sacella, statuae, *στῆλαι.* Quae autem verbis, quae sequuntur, inest sententia, eam funditus corrupere, quum verbo נָתַן vim passivam immerito tribuerint, פְּלֵיטִים infinitivo finali *διασώζεσθαι* reddiderint, pronomen suffixum ־ָיו, quod nonnisi ad כְּמוֹשׁ referri potest, in numerum pluralem *αὐτῶν* converterint. — וַנִּירָם, quod in bibliis est, a Masorethis notatum, idem dicit atque וַנִּירָה אוֹתָם, et jaculis eos confecimus. Alexandrinus contra exhibet *καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται.* Ob id ipsum interpreti וְנִינָם, et soboles eorum, obversatum esse perhibet Rosenmueller, quum mihi multo veri similius videatur, ab Alexandrino ב et ר confusas esse literas, figuris etiam minus, quam נ et ר, distantes lectumque, nimirum opinando, וְנִיבָם. Vocem וַנַּשִּׁים et vastavimus LXX interpretes putaverunt esse וְנָשִׁים *καὶ γυναῖκες*, quamvis valde abhorreat a tota oratione et sententia. נֹפַח autem iis verbum finitum נָפְחוּ visum esse, quod dicit spiraverunt, ignem sufflaverunt, *προςέκαυσαν*, nemo est, quin videat. Pro אֲשֶׁר denique, quod non genuinum esse Masorethae nota peculiari (◦) indicarunt[1]), habent *πῦρ*, אֵשׁ, et pro מֵידְבָא *Μωάβ.* In Vulgata deinde legis: Idcirco dicitur in proverbio: Venite in Hesebon; flamma de oppido Sihon; et devoravit Ar Moabitarum et habitatores excelsorum Arnon. Vae tibi Moab, periisti, popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam et filias in captivitatem regi Amorrhaeorum Seon. Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon; lassi pervenerunt in Nophe et usque Medaba. Quam interpretationem intuenti tibi con-

---

1) Ad quod annotat מסרה קטנה: אשר ר׳ נקודות בתורה, אשר notatum esse decem punctis in thora, quod significat, esse illud suspectum. Commentarius מנחת שי distinctius dicit, קוד על רי״ש בלבד literam Rêsch solam notatam esse, ut in suspicionem vocetur.

cedendum est, versus latinos priores optime ad hebraeos se accommodare, tenebris tectum esse ultimum. Hieronymus legit ונירם, omisso Dagesch, quod jugum esse demonstratur quum Arabico نير tum Syriaco ܢܝܪܐ, suppletque ante חשבון praepositionem מן. Jam vero quaerendum est, quidnam interpretem moverit, ut ונשים in et lassi transferret. Viri docti adhuc de verbo chaldaico נשם cogitasse videntur, cujus notionem Hieronymus illi נשים subjecisset. Apud Syros et Chaldaeos revera est spirare, a quo ducere possis: suspirando se lassum, cursu celeri fere exanimatum se ostendere. At equidem radice aliena non opus esse sentio, ut Hieronymi translatio illustretur, immo ipse quoque ונשים a verbo שמם duxisse videtur, ita tamen, ut ipsi participium Niphal conjugationis ante oculos versaretur: vastati, vastando fugati, lassi. Quae mea sententia quatenus a Syro confirmetur, mox intelliges. אשר denique omnino omisit Hieronymus, cujus animum Judaeus ille, a quo literas Hebraeas edocebatur, ad suspicionis notam supra allatam adverterit. Quanquam enim Masora, quae dicitur, multo post Hieronymi aetatem orta et confecta est, tamen notione vocis טעם, de qua saepius Hieronymus dicit, latius patente, jam ipso vivo signa quaedam ad crisin spectantia fuisse, negari non potest. Restat, ut, quae Syrus et targum afferant, videamus. Syrus affert: ܡܛܠ ܗܢܐ ܐܡܪܝܢ ܒܡܬܠܐ. ܥܘܠܘ ܠܚܫܒܘܢ ܕܬܬܒܢܐ ܘܬܬܩܢ ܡܕܝܢܬܗ ܕܣܝܚܘܢ. ܡܛܠ ܕܢܘܪܐ ܢܦܩܬ ܡܢ ܚܫܒܘܢ ܘܫܠܗܒܝܬܐ ܡܢ ܩܪܝܬܐ ܕܣܝܚܘܢ. ܘܐܟܠܬ ܠܟܠ ܕܡܘܐܒ ܘܠܦܠܚܝ ܒܝܬ ܪܡܬܐ ܕܐܪܢܘܢ. ܘܝ ܠܟ ܐܪܢܘܢ ܘܝ ܠܟ ܡܘܐܒ. ܐܒܕܬ ܥܡܐ ܕܟܡܘܫ ܕܝܗܒ ܒܢܘܗܝ ܡܫܘܟܢܐ ܘܒܢܬܗ ܒܫܒܝܬܐ ܠܣܝܚܘܢ ܡܠܟܐ ܕܐܡܘܪܝܐ. ܘܚܩܠܬܐ ܕܚܫܒܘܢ ܐܒܕܘ ܥܕܡܐ ܠܕܝܒܘܢ[1] ܘܚܪܒܘ ܥܕܡܐ ܠܢܘܦܚ ܕܒܡܕܒܪܐ. Propterea dicunt in parabolis: Ingrediamini Chesbonem, ut exstruatur et muniatur urbs Sichonis. Etenim ignis ortus est Chesbone et flamma ex arce Sichonis et consumpsit usque ad Moabum et cultores excelsorum ad Arnonem locorum. Vae tibi Arnon, vae tibi Moab; periisti, popule Kamosch, qui prodit filios suos pignora (obsides) filiasque captivas Sichoni, Amoritarum principi. Agri autem Chesbonis perditi sunt ad Dibonem usque ac vastati usque ad Nophachum in deserto situm. Ex hac versione elucet, ne Syrum quidem עד, immo עד מואב legisse, quod nescio an ad eandem rationem referendum sit, quam textum Alexandrinum recensentes indicavimus; cetera autem, excepta glossa: Vae tibi Arnon manifesta exceptoque versu ultimo, tam diligenter in linguam suam ei convertere contigit, ut nusquam a Masorethis aberret. Nam quod פליטים profugos in ܡܫܘܟܢܐ transtulit, sententiam nullo modo laedit neque corrumpit, quoniam, quicunque obsides facti sunt, ea ipsa re morti in pugna obeundae eripiuntur (פלט). Versus contra trigesimus, qualem habet Peschito, Hebraeo alienus est ad Masoretharum fidem recepto. τῷ ונירם respondet Syriacum ܘܚܩܠܬܐ et agri atque in altero hemistichio Τῷ ונשים ܘܚܪܒܘ et vastati sunt, velutsi in scriptura sacra sit וְנְשָׁמִים, cum nomine נירם, utriusque hemistichii subjecto, connectendum. Reliquum est, ut Syrum non עד מידבא habere, sed ܕܒܡܕܒܪܐ animadvertatur. — Onkelosus quodammodo assurgens et colore magis poëtico orationem imbuens has carminis reliquias non de verbo ad verbum vertit, sed saepius eloquendi quodam circuitu: על כן יימרון מתליא עולו לחשבון תתבני ותשתכלל קרתא דסיחון; ארי קידום

---

[1]) In editione Kirschiana mendum typographi: ܠܕܝܒܘܢ.

תקיף כאשא נפק מחשבון עבדי קרבא כשלהוביתא מקרתא דסיחון קטילו עמא דשרו בלחית מואב כמריא דפלחין־בית דחלא רמתא דארנון: וי לכון מואבאי אבדתון עמא לכמוש מסר בנוהי צירין ובנתיה בשביא למלכא דאמוראה סיחון: ומלכו פסקת מחשבון עדא שלטן מדיבון וצדיאו עד נפח דסמיך עד מידבא: Propter quod parabolistae dicunt: Ascendite Chesbonem, ut aedificetur ac perficiatur Sichonis urbs. Etenim ventus subsolanus vehemens ut ignis Chesbone ortus est; milites ut flamma ex urbe Sichonis. Interfecerunt populum vicos Moabiticos incolentem, sacerdotes sacellis terribilibus apud Arnonem excelsis servientes. Vae vobis, Moabitae, periistis, popule Kemosch, qui filios suos cinctos filiasque captivas Sichoni tradidit, regi Amoraeo. Ita regni splendor Chesbone evanuit, dominatio Dibonis periit. Vastatum est Nophachum usque, quae Medbae urbi annititur. — Ita dicendi genus multo magis poëticum effingi neque tamen interpretationem contortam afferri, quis non intelligit? Illud et אש et להבה paraphrastes quasi humana forma induit, res ipsas quodammodo agentes inducit: milites ut flamma ex urbe Sichonis. בעלי במות autem sacerdotes tantum intelligit, idolo suo in excelsis locis sacrificia, quae ei debebantur, offerentes. In ultimo versu translatio Chaldaica ea est, ut autor pro "ונירם אבד חש sejuncto ם finali: וניר אבד מחשבון et pro עד דיבון fortasse "עדה ד periit, praeteriit Dibon ante oculos habuisse videatur. — His autem disputatis si jam quaestio oritur, quid quantumque inde ad carminis textum et recognoscendum et illustrandum repeti possit, praecipue de quatuor vocabulis erit controversia. Tacere nimirum licet de iis, quae, veluti illud עד מואב, ad legentis vel scribentis errorem, in quem interpretem incidisse levi cognoscatur opera, referenda videntur esse. Quatuor autem voces intelligo ונירם, ונשים, נפח, מידבא. Ut res sine ulla molestia uno quasi intuitu conspiciatur, indicem hunc proponere liceat:

Masoretharum textus:	ונירם	ונשים	נפח	מידבא
Syrus:	ܘܣܘܟܠܗܘܢ	ܘܢܫ̈ܐ	ܢܦܚ	ܡܕܒܪܐ
Alexandrinus:	*καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν*	*γυναῖκες*	*προςέκαυσαν*	*Μωάβ.*
Chaldaicus:	מלכו	צדיאו	נפח	מידבא
Latinus:	jugum	lassi	Nophe	Medaba.

Ante omnia autem quum illud animadvertendum sit, in ipsis codicibus, quatenus de his reliquiis agitur, nonnulla reperiri incerta et dubia — veluti Hiller: de arcano Qeri et Ketib commemorat, in pluribus libris manuscriptis literas esse consonantes, quae ab iis, quas biblia Athiae habent, aliquo modo discrepent, cf. עד נפחא שעד מידבא — eo majoris momenti erit, testes illos veteres citare eoque facilius cautissimus quisque ac diligentissimus interpres concedet, latum conjicientibus campum patere. Atque, ut breviter dicam, quid equidem de re disputanda statuere velim, duas illas lectiones נפח et מידבא, etiamsi Syrus et Alexandrinus in alienas partes abeant, defendendas esse censeo, duas ונירם et ונשים emendandas. — Nam quod LXX interpretes נפח reddidere verbo *προςέκαυσαν*, spiraverunt et sufflando ignem accenderunt, hoc ita explicari et potest et debet, ut interpretem a loci difficultate laborantem viam consilii quaesivisse sentiamus, qua ab angustiis liberaretur. Quum autem pagus נפח, nusquam alibi in V. T. nominatus, Alexandrinis plane ignotus esset, radicem sibi notam eamque ad nomen proxime accedentem supposuerunt. מידבא quoque vocem retinendam esse mihi persuasum est, lectionem variam Syri ܡܕܒܪܐ, Alexandrini *Μωάβ* non aliter, quam illud נפח, explicandam. Etenim si

utrumque interpretem de מֵידבא[1]) oppido (quod fuisse tabula regis Mesae Moabitici nuper in Palaestina inventa, cujus textum recensuit Noeldeke, testimonio est) nihil scivisse, videtur versimile, facile intelliges, cur alter vocem mutaverit in ܡܘܪܒܐ, de quo toties locis illis sermo est, alter in *Μωάβ,* in quem populum Amoritas eventu prospero pugnavisse ipsae reliquiae sunt testes. At non minus firmis argumentis probari potest, Masorethica et ונירם et ונשים corrigantur oportere. Omnium imprimis translationum veterum consensus docet, נירם pro substantivo habendum esse, quamvis multae de notione ejus exortae sint discordiae, non — id quod volunt Masorethae — pro verbo. Quos jam supra loquentes induximus antiquitatis testes, iis se Arabs quoque, qui Erpenii dicitur, adjungit: سلطنتهم انتلفت مع حشبون dominium eorum periit una cum Chesbone. Adde, quod legentibus nobis וַנִּירָם et וַנַּשִּׁים et linguae leges in memoriam revocantibus haud exiguae difficultates occurrunt, quae ad grammaticam pertinent. ונירם enim duci necesse est a radice ירה jecit, ut sit I pers. plur. aoristi Qal, cum particula ו conversiva et suffixo verbi conjuncta, ergo idem ac: וַנִּירֶה אותם vel וַנִּירֵם. At quanquam saepius fit, ut ו radicalis (radix ורה) in י mutetur eaque litera, id quod apud verba פ״י observari solet, in vocalem i brevem signum subjecti sequentem quodammodo diffluat, ita quidem, ut verba פ״י et פ״ו ejusmodi locis vix possint distingui, tamen multo magis animus eo offenditur, quod suffixum cum forma futura connectitur vocali A, non E. Sicut enim ex rei natura sequitur, ut in forma praeteriti antiquissimis temporibus in vocalem A terminanti (Qatala) eadem vocalis suffixo subscribatur, ita mirum, in futuro quoque eam usurpari, in quo alias semper i vocalis levissima adhibetur ad suffixum cum verbo, modo quasi externo, conjungendum. Invenitur quidem decem fere locis in imperfecto vocalis, quae ligans appellatur, A, sed in ipsa pers. III plur. equidem, excepto illo נינם ps. 74, 8, quod suo jure grammatici in suspicionem vocaverunt, tria tantum verba sic formata afferre sciam: ילבשם Ex. 29, 30; ישימם Deut. 7, 15; יושיען Ex. 2, 17. Quae quum ita sint, non dubito, pro וַנִּירָם proponere lectionem וְנִירָם,[2]) omisso Dagesch, quod cum Syro reddo: et agri eorum, quoniam haec significatio maxime rationi, qua sententiae sese excipiunt, consentanea videtur esse. Transire igitur licet ad alteram vocem ונשים. Est autem forma a Masorethis notata I pers. aor. hiph. radicis שמם et quidem forma chaldaizans. Pervulgatum est enim inter eos, qui linguae Hebraicae non imperiti sunt, praeter legitimam verborum ע״ע formationem, quae conjugationis hiphil est, alterâ quoque Hebraeos uti, in qua, ad metri syllabarum necessitatem, quae in firmis radicibus derivatis invenitur, propius accedente prima radicalis sine interna ratione duplicatur. Inaequalitas autem, nusquam alibi nisi hoc loco et Jerem. 49, 20[3]) inventa, in eo posita est, quod verbum mediae literae geminatae שמם plane in naturam radicum, quae concavae dicuntur, abiisse videtur (יָסֵיב pro יָסֵב). Quam anomaliam aegre ferens quaerensque consilii viam, qua tollatur, Ewaldius נשים ad praeteritum נשה retulit ita, ut ultimam radicalem literam (נשי) in veterrimo carmine conservatum esse contendat. Dolendum sane, quod ei vix continget, ut, quam fecit conjecturam, eam simili exemplo quum

---

1) Annotat מסרה קטנה, מידבא plene (מלא) esse scribendum.

2) Verbum ניר significat novellare agrum et Arabicum نير est ductus viae apertus et conspicuus. (Freytag).

3) Nescio an in ps. 55, 16 pro ישיא (Qeri) legendum sit ישים.

illustret, tum probet. Si igitur in hoc etiam vocabulo Masoretharum punctationem non solum licitum est corrigere, sed etiam necessarium, duplex patet via; alteram ingredienti tibi י supervacaneum delendum est, וַנַּשֵּׁם et vastavimus (suppleas agros); alteram praeferenti pro ונשם scribendum videtur וּנְשַׁמִּים et vastati sunt, cujus participii subjectum est נירם. Si formam defective scribas animadvertasque, duo נ in ea concurrere, a librario facile unum omitti potuisse concedes. — Quod ad illud אשר pertinet (אשר עד מידבא) a Masorethis nota suspicionis peculiari instructum, mihi verisimile est, neque literam ר, neque pronomen relativum solum, sed tres illas voces אשר עד מידבא postea a glossatore quodam esse additas ac textui insertas. Quod fortasse punctatores incerto ac dubio modo senserunt ideoque haud recte indicarunt. Quum enim cum ipso carminis argumento parum arte voces illae conjunctae sint, licet conjicere, librarium locorum situs peritum ante ortas versiones nomini נפח oppidi ignoti illas eo consilio addidisse, ut regionis descriptio accuratior ac dilucidior redderetur. Atque haec quidem hactenus.

II.

Jam vero postquam reliquiarum verba critice recognovimus, viam nobis munivisse videmur ad disputationem de indole et argumento et consilio, ad quod referendae sint, instituendam.

Etiamsi nullum poesis Hebraeorum veterrimae exemplum aetatem tulisset, tamen ex conclusione inductiva, quae dicitur in disciplina cogitandi leges docente, conjecturam facere liceret, quanam fuisset indole. — Apud Hegelium quidem, quo est studio et qua audacia res gestas a priori fingendi, ut ita dicam, easque, etiam alienas, sententiis suis philosophicis accommodandi, me legisse memini nescio quo loco, primam conscientiae formam esse objectivam, deinde exsistere subjectivam, postremo et objectivam et subjectivam et ob id ipsum universam primam poësin fuisse epicam, a qua populi ad subjectivam i. e. lyricam, denique ad objectivam eandemque subjectivam i. e. dramaticam ascendissent. Attamen haec ejus sententia literarum historiae, quae ad orientis populos pertinet, valde repugnat. Veluti carmina patria Chinensium, a Confucio in Schi-king collecta, quamvis diversi sint argumenti, nihilominus ad lyram composita videntur esse, ita quidem, ut poëtam docere quoque velle manifestum sit. Sunt enim, quae ad pietatem augendam ac mores emendandos pertineant, sunt, quae modo elegiaco majorum mores corruptos esse conquerantur et tanquam temporis acti laudatores exsistant, sunt denique, quae animi elatione mere lyrica amoris delicias et vitae voluptates laudibus efferant, metaphoris, quae minus arte cum sententiis conjunctae sunt, plerumque ex natura repetitis. In quo quidem non praetermittendum est, plurima Chinensium melica nobis sicca ac sobria videri,[1]) quoniam medium quiddam tenere Chinensi summa est virtutum. Multo magis mentem melicam quodammodo spirare in Rig-vedae hymnis et in Atharva-veda, Deuteronomio illo Indorum, quis est, qui nesciat? Sive enim universe Arii, ripas quinque fluminum incolentes, gregibus bona pascua, fontes splendidos, fecunditatem exorant, sibi longam vitam, bonam valetudinem, victoriam ab hostibus reportandam, deorum in rebus adversis auxilium, sive nominatim Ushas salutatur ac celebratur aurora emergens,

---

[1]) Hoc dicere non licet de carmine nuptiali, e Schiking allato et a Rueckertio nostro translato. Cf. Weber Weltgeschichte, t. I, p. 57.

coeli ac solis filia, vel Indra deus fulminibus daemones prosternens, vel deus ignis (Agni), formosus ille juvenis corpore valido, qui numina tenebrarum devincit, mortalibus cibum largitur ac divitias, vel denique sacrificium illud Soma, quo Indra inebriatur in adversarios res magnas perpetraturus; ubique indolem lyricam praevalere, quam dicere solent hieraticam eamque poesis formam veterrimam esse manifestum videtur.[1])

Neque minus certi Arabes sunt textes, populi poësin lyricam arte poëtica priorem esse. Priusquam enim Muhammed novae religionis conditor auctorque exstitit, a qua postea novae literae, recens doctrina atque humanitas apud Arabes profectae sunt, Arabum poëtae Beduini erant, pugnas a gente sua editas, res magnas ab ipsis gestas celebrantes hymnis, in quibus melica principatum quendam tenerent, epica admiscerentur.

Iam si indolis carminum, ex quibus reliquiae exstant in libro Numerorum servatae, eandem notionem animo conceperimus, recte de re proposita sentiemus. Etenim Hebraei quum temporibus illis tanquam nomades per desertum vagarentur iidemque, quotiescunque finibus populorum hostilium appropinquabant, ad vim atque arma descendere cogerentur, eâdem, qua Arabes, sorte utebantur; unde colligere licet, poësin apud eos simili modo esse ortam ac simili fuisse natura, praeterquam quod ad Israelitas religio relevata multum valebat. Si igitur Num. XXI liber bellorum domini (ספר מלחמות יהוה) citatur, qui in eo carmina populi et belli collecta esse suspicatur, is vix a vero aberrabit. Quum autem res sit maximi momenti arteque cum proposita cohaereat, de libro bellorum Jovae nunc plura disputentur necesse est.

Ut hominum doctorum opiniones, quae quasi obsoleverint neque crisin sustentent, praeteream, ne Geigeri quidem sententia, novissimo tempore de libro prolata, probabilis videtur. Cujus de dissertatione actis diurnis societatis Germano-orientalis tradita etsi frustra anquisivi, tamen in errorem eum incidisse mihi persuasum habeo, si quidem verum est, quod ad Bleekii introductionem annotatum inveni[2]): Geigerum negare, ejusmodi librum fuisse, quum — id quod e textu Alexandrino et Chaldaico efficere posse sibi videtur — voces ספר מלחמות יה״ falsis vocalium notis instructae sint. Atqui Alexandrinus habet: *διὰ τοῦτο λέγεται ἐν βίβλῳ πόλεμος Κυρίου κ.τ.λ.* quod quidem intelligi potest: propterea narratur in libro (aliquo), bellum domini consumpsisse, sed etiam sic: propterea narratur in libro, qui inscribitur bellum domini, Jovam consumpsisse. Et Onkelosus interpretans: על כן יתאמר בספרא קרבין דעבד יי, hinc dicuntur in libro bella, quae gessit dominus, si non libri inscriptionem, certe ejus affert argumentum idque Masorethis congruenter; ex hoc autem quo jure cogatur, non solum Masoretharum punctationem prorsus falsam esse, sed ne unquam quidem librum fuisse, ii judicent, qui ista profitentur.[3]) Alii fuisse quidem librum concedunt, sed in hoc vehementer errant, quod a Canaanaeo, fortasse Amoraeo scriptore confectum esse contendunt. Namque quum Moses carminibus in libro Numero-

---

[1]) Graecae quidem poësis Bernhardy (Grundriß der griechischen Literatur p. 281 sqq.) demonstrare studet primam formam fuisse epicam a stirpe Jonica ortam. — Ex iis, que Tacitus, imprimis in hist. lib. II c. XXII de Germanorum barritu dicit, non potest colligi, qua indole apud majores nostros antiquissima poëtice fuerit.

[2]) p. 213.

[3]) Cf. Syri verba: ܡܛܠ ܗܢܐ ܡܬܐܡܪ ܒܣܦܪܐ ܩܪܒܘܗܝ ܕܡܪܝܐ.

rum allatis adversus Moabitas probare voluerit, fines eorum non ultra Arnonem extendi,[1]) huic consilio consentaneum fuisse negant, verba ex autore Israelitarum repetere, nullam apud Canaanaeos auctoritatem habente. Ita fere Rosenmueller. Quae res quamvis multum probabilitatis leviter tantum ipsam attingenti habere videatur, in magnis tamen dubitationibus versatur. An alium scripturae locum invenis, in quo sacrarum scripturarum autores ad tabulas alienae originis ethnicaeque provocant, quibus sua ipsorum verba confirment? Nonne judicandum est, gentes Canaanaeas ne tabulis Israeliticis quidem fidem denegaturos fuisse, si vestigia et originis genuinae et integritatis prae se tulissent? Ac quominus libro illo bella descripta esse credamus inter Moabitas et Amoritas gesta, profecto libri inscriptione מלחמות יהוה prohibemur. Nam libro bellorum Jovae nulla alia bella celebrari posse manifestum est, nisi quae Jova ipse pro populo suo, vel quae Hebraei, deo adjuvante, gesserunt, quum in gentes Palaestinae invaderent. Cui sententiae si Rosenmueller opponit, alias quoque nationes diis suis nomina propria dedisse ea, quibus dii a populis, quorum erant patroni, appellabantur, ergo(?) sine dubio gentibus vicinis nomen dei Israelitici Jovae notum fuisse, hoc vix dignum est, quod refutetur. Neque enim dubitamus, quin יהוה nomen proprium Canaanaei cognitum habuerint; valde autem dubitatur, num librum bella inter Moabitas et Amoraeos gesta describentem librum bellorum domini inscribere licuerit. Sequi igitur ex rei natura videtur, ut Hebraeus fuerit scriptor, qui res magnas a popularibus, quum desertum permigrarent, dei auxilio perpetratas fortasse sermone historico enarraret, certe carminibus ex populi animo tanquam haustis efferret. Edocemur enim ipso libri Numerorum capite vicesimo uno, tunc temporis ab Israelitis victum esse Aradi regem, Sihonem Amoraeum, Ogum denique, Basaniticae terrae praefectum. Ex ejusmodi autem victoriis, quarum alia aliam brevi tantum temporis spatio intermisso sequebatur, incrementa cepit animus juvenilis et fortis tanta, ut carminibus eum effingi oporteret. At his perpensis quanquam, ad quid liber pertinuerit,[2]) intelleximus, tamen, quantum continuerit, vix certis terminis definiri poterit, quia hoc tantum loco, nusquam alibi, ejus fit mentio. Terminum quidem a quo, ut dici solet, statuere facile. Quoniam enim miraculum Israelitis mare rubrum transgredientibus a deo editum peculiari hymno celebratum esse scimus (Ex. XV.), quoniamque, quamdiu in deserto versabantur, alia bella iis, quae Num. XXI allata cognovimus, priora non memorantur, sequitur, ut liber bellorum Jovae initium fecerit a victoriis de iis populis reportatis, qui Palaestinam inter ortum brumalem et meridiem spectantem incolebant, de Aradi, Amoritarum, tractus Basanitici rege. At de tribus his victoriis solis totum librum compositum esse, vix credatur. Quamobrem

---

[1]) De qua re vide infr.

[2]) Qui pentateuchum Mosis, omnino unius autoris opus esse negant, in librum legum, historiarum, bellorum, propheticum, poëticum denique eum dirimentes, inter eos sunt, qui opinentur, ספר מלחמות י׳ nobis traditum esse quasi unam e tabulis, quas, qui postremus operi adornando praeerat, collegit. Quae sententia, quam perversa sit, facile est intellectu. Dubitari nequit, quin Alqorani autor sit Muhammed, etsi concedendum est, post ejus mortem librum, duabus fortasse Suris exceptis, literis consignatum esse. Tamen Alqorani pars alia continet leges, alia enarrationes, alia orationes nonnunquam in carminum naturam abeuntes. Num licet inde colligere, Alqorani tot esse autores, quot habet diversas partes? Minus etiam licet de pentateucho, quippe qui, si rei summam animadvertas, modo magis accurato ac rei naturae consentaneo digestus ac compositus sit, quam Qoranus. Cf. Haneberg, Geschichte der bibl. Offenbarung, p. 189.

equidem si non verum, at vero propius esse censeo, librum etiam ad ea proelia pertinuisse, e quibus Hebraei victores discedebant, quum Josua duce terram promissam totam incolis eriperent. Jam quamdiu nomadibus similes modo hic modo illic castra in deserto et regionibus vicinis ponebant, id tantum fieri potuit, ut libri argumentum viva quodammodo voce traderetur; postquam autem tota terra Canaanitica potiti stabiles consecuti sunt sedes, librum scriptum esse verisimile est. Hoc autem tempore Josua is fuit, quem tale opus perfecisse credamus. Sicuti enim ipso libro Josuae[1]) edocemur, virum illum clarissimum legem Mosis supplevisse, — postquam enim relatum est, quae postrema cum populo egisset, sic dicitur: Has autem res Josua libro legis divinae addidit —, sicuti nobis narratur, nonnulla tunc temporis conscripta esse, quae ipso duce gerebantur (Jos. 18, 9): ita nihil in se habet discrepantiae, si ספר מלחמות a Josua conscriptum esse conjicias, bella ea describentem, quae partim ipse viderat audiveratque Mosis tempore, partim Israelitarum praefectus ad eventum tam prosperum perduxerat. Quae autem in libro bellorum ad rerum historiam enarrandam spectabant, ea a libri Josuae (capite I—XII) scriptore in ipsius rem conversa esse suspicor.

Ex hoc igitur libro primas reliquias repetitas esse, ipsa scriptura testatur. Quod sequitur carmen, tam alienam et indolem et formam prae se fert, ut ad argumentum libri bellorum Jovae vix referri possit. Tertias autem reliquias, quae parabolistis (המשלים) tribuuntur, e ספר מלחמות transpositas esse, jure meo contendere mihi videor. Nam praeterquam quod inscriptio על כן יאמרו המשלים non impedit, quin reliquias in libro bellorum fuisse credamus — significat enim משל nil nisi aliquod carmen, quod sic appellari solet propter orationem figuris et ornamentis indutam et in lingua Arabica امثول sunt versus[2]) — movetur etiam animus, ut illam sententiam amplectatur, tribus rationibus. Una quidem est, quod utrumque (I et III) eodem spectat, alia, quod primum tertio suppletur, alia posita in formae quadam similitudine. Nam si primum ea mente allatum esse videbimus, ut testaretur, Arnonem fluvium fines inter Moabitas et Amoritas constituere, quum primo id tantum testetur, fluvium illum terram Moabiticam praeterlabi, apparet profecto, ad tertium provocandum esse quasi supplementum, in quo tot urbes prius Moabiticae, tunc Amoraeae nominentur et tam accurata regionis illius descriptio inveniatur. Quod ab interpretibus adhuc non animadversum esse miror. Carmina deinde et primum et tertium inter se simillima esse formâ obscurâ et reliquiarum vestigiis notatâ, jam vidimus, ex quo efficitur, ad eandem originem ea saltem posse duci. Si denique ex nobis quaeratur, quo singula spectent, haec respondemus. Quoniam prima cantiuncula in hoc contextu versatur, ut praecedant verba ad regionem describendam allata כי ארנון גבול מואב בין מואב ובין אמרי et sequantur על כן יאמר, per se perspicuum est, eo consilio illam verbis bibliorum esse additam, ut carmine apud populum universum pervulgato locorum descriptio, quae antecedit, confirmaretur. Intuentibus enim nobis locum Deuteronomii II, 9, quo Israelitas vetat Jehova Moabitis bellum inferre consanguineis, „nam populo, inquit Jova, nihil terrae Moabiticae tradam possidendum, postquam Arem dedi filiis Loth,“ ratio carminis allati certe erit perspicua. Ubi enim Hebraei cum Amoraeis congressi horum terram usque ad Arnonem meridiem versus

[1]) Quem a Josua compositum esse negamus.

[2]) vel sentenita exempli caussa allata (Freytag).

in suam postestatem redegerunt, Moabitae, qui antea regionem illam possederant, recuperare eandem studebant. Quam ob rem testimonium in pentateucho affertur, quo demonstretur, Moabitas jam prius e regione expulsos esse eamque Amoraeam redditam, nam Arnonem terrae Moabitarum fines tangere. In hoc autem non obliviscendum, in pentateucho religionem ac revelationem quasi centrum esse, a quo radii, qui dicuntur, omnes proficiscantur, ad quod referantur. Et aliud est consilium cantica afferendi, aliud ea componendi. Itaque etsi illum cantiunculae allatae finem esse concedimus, tamen religionis rationem non licet negligere, quae toto carmine imprimis digna videtur. Quae quum ita sint, credere velim, totum canticum poëtam hac mente composuisse, ut testimonio esset aeterno, trans Arnonem populum electum deo adjuvante arma victricia tulisse, nam apud Mattanam Jovam in turbine fuisse, majestatem et potentiam suam eo patefecisse, quod populum suum de victoria ad victoriam perduceret. Est igitur cantiuncula pro parte majoris epinicii habenda, quo, postea a Josua cum aliis argumenti similis in libro bellorum conjuncto, Hebraei protectorem suum laudibus extulerunt efficientem, ut rebus tam prospere gestis propius propiusque ad terram promissam accederent. — Inter sententias autem de tertii carminis argumento prolatas verisimillima est et suâ naturâ probabilis, esse epinicium de Amoritis prostratis ab Hebraeo quodam editum, in libro bellorum deinde inter alia collectum. Amoraei enim, qui terra Moabitica usque ad Arnonem potiti eâque suae ipsorum adjunctâ ad tantam gloriam pervenerant, ut hostes non contemnendi exsisterent, nihilominus ab Hebraeis prostrati sunt, qui divina juvante gratia, quamdiu Jovae praecepta observabant, pugnare solebant. Quare cantico triumphali Israelitae celebrant, quantam caedem et vastationem in regione Moabitis prius subdita Amoraei tunc potentissimi, mox autem ad ruinam lapsuri ediderint. Quo enim hostis est fortior et bellicosior, quo magis victoriis ipse assuetus, eo majorem gloriam assequitur is, qui terribilem superat. Si igitur in versu XXIX vae Moabitis dicitur, quippe qui ab idolo suo כמוש omni potentia carenti derelicti sint et Amoritarum manibus proditi, in hoc versu nescio an interluceat quodam modo *εἰρωνεία* quaedam. Etenim qui antea de victoriis suis gloriabantur, tunc Israelitis inferiores discessere; qui urbes Moabi, imprimis Chesbonem, expugnaverant, tunc relinquere eas coacti sunt, quae ab hostibus Hebraeis incolerentur ac munirentur. In hoc et religionis inest ratio, quum Jova omnipotens ab inani כמוש victoriam reportaverit, et orationis color poëticus. Ceterum epinicii reliquiae in hunc finem libro Mosis insertae suut, ut demonstretur, Hebraeos urbes Moabitarum occupare vetitos praeceptum divinum non migrasse, quod regnum ad Arnonem usque propagabant, nam prius quidem regionem, in qua sedes ponebant Israelitae, Moabitis fuisse, illo autem tempore iis a Sichone ereptam itâque Amoraeam. — Restat, ut de versibus decimo sexto et septimo, qui continent cantiunculam post puteum inventum compositam, breviter dicamus. Est enim sententia per se perspicua neque in ullis dubitationibus versatur. Ad desertum Arabicum si spectatur tam arenosum et sitiens, profecto puteus dignus videtur, qui carmine celebretur, praesertim quum puteus ille tam miro modo detectus sit, ut populi principibus terram effodientibus repente aqua prosiliret, tam vehementer desiderata. Verisimile autem puto, in hac cantiuncula verba עלי באר ענו לה pro versu intercalari, quem vocant, habenda esse.

III.

Reliquum est, ut, qua aetate et carmina orta sint et eorum reliquiae literis consignatae, ad liquidum perducere studeamus.

Si liber proeliorum domini eo tempore, quo natio Hebraeorum ex Aegypto profecta in deserto Arabico versabatur, ortus est, primo voce viva ad posteros propagatus, deinde a Josua conscriptus, singulae certe ejus partes, inter quas reliquias duas numerandas esse probavimus, in aetate Mosaica ponantur necesse est. Et re vera hae cantiunculae tot tamque certis instructae sunt notis Mosaicam aetatem indicantibus neque ulla praebent temporis posterioris vestigia, ut intelligi prorsus non possint, nisi a Mosis tempore profectae utque ipse de Wettius, eorum interpretum, qui, rationibus internis, quae dicuntur, moti, testium etiam nubem contemnere solent, fere audacissimus, eas pro „documentis Mosaicis" habere coactus sit. Veluti tertiae reliquiae tam accuratam ac dilucidam exhibent rerum et locorum descriptionem, quam scriptor posterior nullo modo effingere potuerit. Atque si Hartmannius[1]) ex cap. Jerem. XLVIII cum tertia cantiuncula diligentius collato evincere conatur, eam posterioris temporis esse, dicens, et prophetam et poëtam terram Moabiticam ea ratione depingere, ut parvo temporis intervallo utrumque distare appareat, objiciendum, quod propheta autoris Mosaici vestigia sequitur et ob id ipsum hôc exsistit posterior. Accedit, quod consensus ille, exceptis versibus 46 et 47, quos propheta de pentateucho mutuatur, latius non patet, quam ad nomina nonnulla urbium allata, quas aut aetate Mosaica non fuisse aut aliis nominibus appellatas esse, Hartmannio, credo, demonstrandum erat. At quanquam reliquiae omnes Mosis tempore ortae sunt, non tamen omnes eodem tempore pentateucho insertas esse, jam demonstrabo. In qua quidem re interpretes adhuc satis caute disquisitionem instituisse non videntur, quoniam singularum propriam naturam aequo minus distinguunt. Attamen dubitari nequit, et indole et forma perspecta, quin carmen primum et tertium conjungenda sint,[2]) alterum separandum. Utrumque illud minus arte cum sententiarum serie connexum est, ut e contextu solvere possis neque tamen orationis integritas atque ordo laedatur; hoc contra cum iis, quae praecedunt et sequuntur, ita conjunctum invenies, ut sine sententiae laesione quadam dissolvi non possit. Nam postquam versu antecedenti id tantum edocti sumus, puteum aliquo loco detectum esse, hac ipsa cantiuncula edocemur, quonam modo peculiari inventus sit: praefectis populi sceptris et baculis terram effodientibus. Quis est, qui credat, talis argumenti canticum pentateucho confecto a scriptore quodam posteriore additum esse idque tam mira ratione?

Accedit, quod primum et tertium in tantis difficultatibus et tenebris esse textum recensentes cognovimus, ut inde colligi possit, eorum verba ne ab eo quidem omni ex parte et levi opera intellecta esse, qui primus utrumque literis mandavit; alterum vero, putei canticum, tam clarum et perspicuum, tam simplex et integrum, ut mihi quidem statim conscriptum esse videatur ab eodem, qui librum Numerorum composuit, a Mose.[3]) Quae res quum ita se habeat, mihi quidem persuasum est, alteram cantiunculam non solum a Mosis aetate profectam esse, sed etiam ab ipso

---

1) Cf. Welte, Nachmosaisches im Pentateuch, p. 188.

2) Vid. supr.

3) Non obstat אז particula, non solum de iis, quae jamdudum praeterierunt, sed etiam de iis, quae modo, intelligenda.

librum Numerorum conficiente mox literis consignatam, primam contra et tertiam tempus aliquod viva voce traditas esse, donec a Josua in librum bellorum domini receptae sunt, ex quo glossator quidam utramque desumpsit et pentateucho addidit. Bleekius quidem negat,[1]) fieri potuisse, ut cantiunculae, quarum tam exiguum argumentum esset, voce tantum traditae per tot tempora ad posteros propagarentur. Si autem meam sequaris sententiam, utrumque carmen a Josua in librum bellorum domini receptum esse, haud ita dici potest de temporis intervallo nimis longo. Et quanquam reliquiae tam levi sunt argumento, ut vix credi possit, eas per se nec statim conscriptas aetatem laturas fuisse, unde collegit Bleekius, ne tota quidem carmina conservari tradique potuisse? Ex eo, quod pars parvi est argumenti, profecto non licet efficere, totum quoque ejusdem naturae fuisse. At posito ac concesso—id quod concedi non debet, — tota quoque cantica exigua fuisse, tamen Bleekius illud non contendisset, si in memoriam revocasset, quanam ratione antiqua Arabum poësis et orta et propagata esset. Etenim veterrima carmina Arabum, quae fere in iisdem sententiis atque librum illum bellorum domini versata esse verisimile est, omnia de aetate ad aetatem voce propagabantur; qua ratione factum est, ut carminum, inter quae eminet praeclara illa Cassida Schanfarae poëtae, thesaurus colligeretur ab Abu-Temmam saeculo demum post Christum natum nono in Hamâsa depositus, clarissimo illo libro, quem Rueckertius noster in vernaculam linguam transtulit ea, qua est, ingenii et subtilitate et elegantia et simplicitate. Quod igitur apud Arabes fieri potuit per plura saecula, cur idem apud Hebraeos fieri non potuit, quamdiu vitae consuetudine Arabum simili utebantur?[2])

At num de glossatore illo, a quo carminum duae reliquiae e libro bellorum in pentateuchum transpositae sunt, nil prorsus si non certi, at probabile investigari potest?

Id sine ulla dubitatione contendere licet, regis Davidis tempus quasi terminum constituendum esse, ultra quem additamentis in quinque libros Mosis aditus non patebat. Nonne Davide regnante cultus dei in formam stabilem redactus est; nonne ipse rex quasi testamentum facit, pentateuchum summa cum reverentia a popularibus esse colendum ac servandum, quippe qui liber sit, summam continens eamque divinam doctrinae, morum, legum? Itaque post tempora Davidica aliquid libro sancto addere vel aliquid detrahere, nemo Hebraeorum sibi religioni non duxisset. Ergo verisimile est, quod in pentateucho reperiuntur nonnulla aperte addita, id tribuendum esse Samueli prophetae. Ipse est enim primus autor, qui post Mosem et Josuam nominatur (I Chron. 29, 29); quin etiam Abarbanele teste socius et adjutor censendus est libri Josuae compositi; totius fortasse heptateuchi (quinque librorum Mosis, Josuae, judicum) *διασκευαστής*. Ipsius sane erat, leges principales ad religionem et civitatem pertinentes longo temporis intervallo, quo omnia ad ruinam labi videbantur, intermisso renovare ac restaurare. Veluti loco I Sam. 10, 25 legimus, a Samuele literas quasdam graves majore etiam dignitate ita instructas esse, ut illas „in conspectu domini depositas quodam modo conderet“, aeque ac quinque Mosis libros. Ex his quidem disputatis si id tantum liquet, glossas illas e libro

---

[1]) Einleitung p. 204.

[2]) Veterrimos quoque Vedarum hymnos, ex quibus intelligas, quid pastorum populus ille non quidem vagantium, sed in sedibus fixis inhaerentium, et senserit et cogitaverit, per longum tempus voce traditos esse constat, priusquam literis traderentur. Collecti enim sunt non ante saeculum a. Chr. n. septimum, terrâ, quae apud Gangem sita erat, occupatâ.

bellorum Jovae a Samuele recipi *potuisse* in pentateuchum, jam in capite libri judicum undecimo gravissimae literae ad nos pervenerunt, ex quibus, quam veri simile sit, prophetam re vera reliquias textui biblico inseruisse, levi opera efficias. Illis enim diebus, loco allato legimus, Ammonitae in eo erant, ut cum Hebraeis manus consererent. Quamobrem Jephthe judex haud multo ante Samuelem vivens, nuntios ad regem Ammoniticum misit ex eo quaesituros, cur populo Israelitico bellum inferre vellet. Respondit ille: Quia Israel terram meam[1]) subjecit, ab Arnone usque ad Jabocum et Jordanum, quum ex Aegypto ascenderet. Itaque redde mihi nunc in pace. Jephthe autem regi hostium nuntiavit: Populus noster neque Moabitarum neque Ammonitarum terram occupavit. Sed Kades-Barnea profectus, ab Edomitis et Moabitis petivit, ut sibi daretur transitus. Utrisque autem per agros urbesque iter prohibentibus, coactus erat, eorum fines circumire; quo facto Arnonem trajecit, nam *Arno fines Moabiticos tangit*. Sihone autem devicto, terram Amoraeam occupavit, ab Arnone usque ad Jabocum, a deserto ad Jordanum. Hancne terram tu postulas? Nonne tibi merito tribuendum est, quod deus tuus כמוש acquisivit, nonne igitur est nostrum, quod deus noster nobis tradidit? An Balak rex litem egit adversus Israelitas, eo tempore, quo in urbe Chesbone sedes ponebant et oppida apud Jordanum sita incolebant, *jam trecentos abhinc annos*? Cur tamdiu de jure vestro decessistis? Itaque non equidem pecco, sed tu, quod bellum nobis infers. — Ex quibus liquet, non multo ante Samuelem regnantem gentes Israelitis propinquas sibi regiones vindicasse, ab his occupatas. Timendum etiam erat, ne futurum esset, ut in posterum quoque ejusmodi vindiciae fierent. Quas ut funditus diluat ac refellat, Samuel propheta carminum reliquias trecentis circiter annis postquam carmina orta sunt, pentateucho libro omnibus summopere venerando addidit, ut testimonio sint aeterno, Israelitas non propinquarum nationum terras suae ditionis fuisse, sed alienarum et hostilium. — Ita de re proposita judicantibus nobis fortasse contigit, ut sustulerimus difficultates, quas ex reliquiis insertis ii deducunt, qui pentateuchum genuinum esse negant. Nam putare, illas citari tantum, non quasi tabulas antiquas afferri — id quod nonnulli putavere, pentateuchi authentiam defendentes — id a vero alienum esse, nemo non perspicit, qui sententiâ non praeoccupatâ perpendit, in quo contextu cantiunculae versentur. Denique minus mirum tibi videbitur, quod ad alios testes pentateuchus provocat, si censeas, non Mosem provocasse, sed glossatorem posteriori viventem aetate.

Novissimo tempore a Palaestina in occidentem pervenit nuntius,[2]) denuo in terra sacra notabiles lapides inventos esse, inscriptionibus instructos, e quibus unus, in terra Moabitarum detectus, Mosaicae aetatis et originis vestigia prae se ferre dicitur. De quo notus ille antiquitatis documentorum investigator, Henry Lumley, haec refert:

Es ist mir gestattet worden, ihn zu untersuchen, und ich muß sagen, er trägt alle (?) Zeichen des Alterthums und der Wahrheit an sich. Er mißt auf der Oberfläche 36 Zoll, bei einer Breite von 18 Zoll; er ist von hartem, dichtem Granit und enthält 6 Zeilen geschriebener Charaktere, welche in der Form mit den sinaitischen Lettern fast identisch sind.

---

[1]) Rex Ammonitarum, Hebraeis non minus quam Moabitae consanguinitate propinquorum nescio an ideo regionem illam, quam Israelitae Sihoni eripuerant, suam postulet, quod idem rex Moabitarum erat, quibus Emoritae prius abstulerant.

[2]) Cf. Allgemeine Zeitung des Judenthums, Leipzig 20. Februar 1872.

Noch ist kein werthvolleres (?) Denkmal über in der Bibel mitgetheilte Thatsachen aufgefunden worden, indem es in einer mit den Ereignissen, die es berichtet, fast gleichzeitigen Periode gemacht ist; ja es dürfte von nachhaltigerem Interesse sein, als der Moabiterstein, denn es enthält den Namen des Moses, der die Inschrift selbst angeordnet, gesehen und gebilligt haben dürfte, als ein Erinnerungszeichen an die Eroberung Moabs (?) durch Israel unter seinem großen Führer und überdieß ist der Stein, soweit es sich um die Inschrift handelt, in vollkommen gutem Zustande. Er wurde durch Beduinenscheiks aus den Ruinen (oder dem Damm) der Stadt Medebah gebracht, welche 7 engl. Meilen südlich von Hesbon, 15 Meilen nördlich von Dibon und ungefähr 45 Meilen grade östlich von hier (Jerusalem) liegt. Die Schriftzeichen, welche sehr deutlich und beinahe vollkommen erhalten sind, lauten übersetzt, wie folgt: „Wir vertrieben sie, das Volk von Ar Moab im Marschlande; da brachten sie ein Dankopfer Gott, ihrem Könige und Jeschurun frohlockte, wie auch Moses, ihr Führer." Die Uebereinstimmung mit den dies bezüglichen Berichten im Pentateuch und im Buche Josua ist kaum zu verkennen (?). Die auf dem Steine erwähnte Stadt Ar Moab liegt in dem Delta, welches durch die beiden Flüsse gebildet wird, die hier in den Arnon fließen. Das „Ar Moab im Marschlande" des Steins scheint identisch zu sein mit „Stadt, welche mitten im Flusse," die im Buche Josua erwähnt wird. Ich habe von den Schriftzügen eine Kopie gemacht und bringe sie nach England, zugleich mit den Kopien der Erklärungen von Leuten hir, welche die Geschichte des Steines kennen."

Exspectandum erit, si inscriptio et genuina et integra sit, interpretatio, quam Lumley attulit, recta. Quod autem pertinet ad ea, quae vir ille doctissimus interim retulit, nonnulla corrigenda videntur. Dicit, consensum esse inter inscriptionem et pentateuchum i. e. reliquias a nobis tractatas. Neque tamen est consensus,[1]) nisi vocis illius: „et expulimus eos," Emoritas subjectum esse censetur, quum secundum inscriptionis contextum verbum ad Israelitas referendum videatur esse. Attamen compluribus scripturae locis Hebraeos Moabitis propinquis bellum inferre vetitos esse legimus.[2]) Lumley igitur si de Moabitarum terra ab Hebraeis tunc temporis expugnata et uno quasi spiritu de pentateuchi et inscriptionis consensu verba facit, vehementer errat. Non minor nobis difficultas occurrit, Israelitas esse subjectum et Emoritas populum τοῦ Ar-Moab intelligi arbitrantibus, quoniam fieri non potest, ut hoc nomine Amoraei appellentur, perbreve tantum tempus oppidum illud expugnatum possidentes. Quae duplex difficultas virum doctissimum, pentateuchi verba non satis accurate conferentem, plane fugisse videtur. Si forte evenerit, ut difficultates tollerentur et tabulae verae probarentur nuntiis magis accuratis, quas nescio an Graetzius noster allaturus sit, in Palaestinam nuper profectus, deo adjuvante alio loco nobis licitum fore confidimus, in rationem inquirere, quae inter inscriptionem illam et carminum reliquias intercedat.

---

[1]) Ob id ipsum, ut alias rationes taceam, insrciptionem non esse genuinam existimo.

[2]) Multo postquam Moses mortuus est, ineunte jam judicum aetate, Hebraei cum Moabitis conflixere, non aggredientes, immo se defendentes (jud. III).

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Gymnasial-Oberlehrer Dr. Gotschlich.

1. **Religionslehre.** a) Kathol.: Die dogmatische Lehre von Gottes Einheit und Dreipersönlichkeit, von der Schöpfung und Erlösung. 1 St. Wiederholung der gesammten Kirchengeschichte bis z. J. 1517. Daneben Lektüre des Markusevangeliums bis zu Ende. 1 St.
Flöckner.

b) Evangel.: Aus der Dogmatik wurden im Wintersemester die Theologie, Anthropologie und Christologie ausführlicher, die Soteriologie und Eschatologie nur ganz kurz durchgenommen, im Sommersemester die Kirchengeschichte von 325 bis zur Zeit Karls des Großen. Gelesen wurde aus dem neuen Testament im Urtext der Hebräerbrief, darauf im Sommer-Semester die katholischen Briefe (1. Br. Petri ausführlich. — 2. Br. Petri und Judä nur deutsch, komparativ, Jakobi und Johannis 1. ausführlich, 2. und 3. kursorisch, nur deutsch). Die jedesmaligen Episteln wurden übersetzt, die Pensen früherer Klassen theilweise wiederholt.
Vicar Prusse.

2. **Deutsch.** 3 St. a) Geschichte der deutschen Literatur des Mittelalters. b) Logik. c) Disponirübungen und Korrektur der vierwöchentlichen Aufsätze. Gelesen wurde Göthe's Iphigenie, zwei Aufsätze von Schiller und Musterstücke aus Bone's Lesebuch.
Dr. Gotschlich.

3. **Latein.** 3 St. Uebersetzung und lateinische Erklärung von Cic. Tusc. I. Privatim lasen die Schüler Cic. Divinat. in Caecilium; Accus. in Verr. l. IV. — 1 St. Mündliche Uebersetzung aus dem Deutschen in's Lateinische nach Kämpf's Aufgaben, abwechselnd mit einer Kontrole der Privatlektüre. — 1 St. Anfertigung und Korrektur lateinischer Extemporalien, Extemporisirung lateinischer Texte. — 1 St. Censur der lateinischen Aufsätze.
Der Direktor.

2 St. Horat. Carm. l. I. II. Serm. l. I, 1. 9. Dr. Gotschlich.

4. **Griechisch.** 6 St. a) Grammatik 1 St. Wiederholungen aus der Syntax; zweiwöchentliche Extemporalien u. Exercitien. b) 2 St. Lektüre des Thucydides l. II. cap. 1—70.
Dr. Gotschlich.

c) 2 St. Sophokles Elektra. — 1 St. Homers Ilias IX, X, XI. Privatim lasen die Schüler Ges. XXIII, XXIV. Der Direktor.

5. **Französisch.** 2 St. a) Gelesen wurde in dem Handbuche von R. A. Menzel: Staël-Holstein, p. 52—66, 70—72, 79—83; Chateaubriand p. 148—163; Napoléon I. p. 199—206, 210—212; Las Cases p. 212—225. b) In der Grammatik wurden einzelne Partien wiederholt und nach dem Knebel'schen Uebersetzungsbuche eingeübt. c) Korrigirt wurden alle 3—4 Wochen die häuslichen oder Klassen-Arbeiten. Dr. Franke.

6. **Hebräisch.** 2 St. Lectüre von 26 ausgewählten Psalmen u. prov. III. — Uebungen im Lesen unpunktirter Texte mit rabbinischen Scholien. — Gelegentliche Wiederholung der wichtigsten gramm. Gesetze. Flöckner.

7. **Geschichte und Geographie.** 3 St. a) Geschichte des Mittelalters und der neueren Zeit bis zum dreißigjährigen Kriege; b) Wiederholung der alten Geschichte; c) Geographische Wiederholungen im Anschluß an den geschichtl. Unterricht. Dr. Franke.

8. **Mathematik.** Geometrie. 2 St. Stereometrie bis zur Ausmessung des Kubikinhalts und der Oberfläche der Körper. Konstruktionsaufgaben. Arithmetik. 2 St. Progressionen, Zinseszinsrechnung, diophantische Gleichungen, Kombinatorik und Binomium.

Wiederholung alles Vorgetragenen und Einübung an Beispielen. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. Dr. Fiebig.

9. **Physik.** 2 St. Wärme, Magnetismus, Elektricität, Galvanismus.
Dr. Fiebig.

10. **Zeichnen.** 1 St. Komb. mit Secunda und Tertia. Vermehrte Uebungen im Freihandzeichnen nach Vorlegeblättern. Lodahl.

11. **Singen.** 1 St. Komb. im vierstimmigen Chor mit den ausgewählten Sängern aller Klassen. — Chöre und Motetten verschiedener Komponisten. Lieder und Chöre für Männerchor zu besonderen Festlichkeiten; — Messen und Offertorien für den Gottesdienst.
Im ersten Semester Rektor Klose, im zweiten Lehrer Braxator.

Secunda.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Schuppe.

1. **Religion.** 2 St. a) Kathol.: Allgemeine Moral u. die wichtigsten Partien aus der besonderen. 1 St. Der erste Zeitraum der Kirchengeschichte ganz und der dritte bis zum Trienter Koncil. — Lesung der Apostelgeschichte c. VII — XIII. 1 St. Flöckner.

b) Evangel.: Im Wintersemester wurde die Symbolik mit besonderer Berücksichtigung der Entstehung der verschiedenen Konfessionen, im Sommer die Kirchengeschichte seit der Reformation vorgetragen. Uebersetzt wurde außer den jedesmaligen Evangelien im Winter der 1. Brief an die Korinther, im Sommer der an die Galater und Philipper.
Vikar Prusse.

2. **Deutsch.** 2 St. Lektüre von prosaischen Aufsätzen aus Bone's Lesebuch und Göthe's Egmont. Poetik. Freie Vorträge. Korrektur der vierwöchentlichen Aufsätze.
Dr. Schuppe.

3. **Latein.** 2 St. Grammatik: Wiederholung der Syntax. 1 St. Uebersetzungen nach Kämpf. 1 St. Korrektur der Exercitien oder Extemporalien. Lektüre 3 St. Cicero de senectute; 1 St. Kontrole der Privatlektüre; Cicero's Reden gegen Catilina.
Dr. Schuppe.

2. St. Vergili Aeneid. lib. VI, Georg. lib. IV, Eclog. 1, 4, 6.
Oberlehrer Dr. Peters, in Vertretung desselben G.-L. Müller.

4. **Griechisch.** 6 St. a) Grammatik. 1 St. Kasuslehre nach Buttmann. 1 St. Uebersetzungen aus dem Deutschen. Exercitien und Extemporalien zweiwöchentlich. Lektüre 2 St. Xen. Cyrop. lib. II. Dr. Schuppe.

b) 2 St. Homers Odyssee XIV, XV, XVI. Memorirt wurden V. XIV, 1—100.
Der Direktor.

5. **Französisch.** 2 St. a) Gelesen wurde Michaud, première croisade in der Goebel'schen Bearbeitung; b) In der Grammatik von Knebel wurde cap. V — VII. durchgenommen und nach dem Uebersetzungsbuche desselben Verf. eingeübt; c) Alle drei Wochen wurde eine häusliche oder Klassen-Arbeit korrigirt. Dr. Franke.

6. **Hebräisch.** 2 St. Für den oberen Kursus Wiederholung der Etymologie und Analyse von I. Mos. XXXIII, XXXIX, XL, XLI. Für den untern Schrift-Laut- und Formenlehre; die letztere bis zu den Verben עי. Daneben Versuche im Analysiren.
Flöckner.

7. **Geschichte und Geographie.** 3 St. a) Römische Geschichte bis zum Untergange des weströmischen Reiches; b) Wiederholungen aus der orientalischen u. griechischen Geschichte; c) Geographie der unter Rom's Herrschaft vereinigten Länder. Dr. Franke.

8. **Mathematik.** 2 St. Geometrie. Von der Lehre über die Proportionalität gerader Linien bis zum Ende der Planimetrie. Konstruktionsaufgaben. 2 St. Arithmetik. Wiederholung der Lehre von den Potenzen; darnach die Lehre von den Wurzeln und Logarithmen.— Gleichungen des ersten und zweiten Grades. — Korrektur der schriftlichen Arbeiten.
Dr. Bröckerhoff.

9. **Physik.** 1 St. Nach der für die Schüler der untern Abtheilung nothwendigen Einleitung Hydrostatik, Aërostatik und Akustik. Dr. Fiebig.

10. **Zeichnen.** 1 St. kombinirt mit Prima und Tertia. S. diese. Lodahl.

11. **Singen.** Siehe Prima.

Ober-Tertia.

Ordinarius: Gymnasiallehrer König.

1. **Religion.** 2 St. a) Kathol.: Im Wintersemester Erklärung der beim Gottesdienste gebrauchten lateinischen Hymnen. — Im Sommer die Grundzüge der allgemeinen Sittenlehre. 1 St. Kirchengeschichte von der abendländischen Kirchenspaltung bis in die neueste Zeit. 1 St.
Flöckner.

b) Evang.: 2 St. Wiederholung des Katechismus, besonders die Lehre von den Sacramenten und die alttestamentliche Einleitung mit besonderer Berücksichtigung des Inhalts der biblischen Bücher. Die Evangelien, 6 Lieder und einzelne Bibelstellen, wie Jes. 53, wurden memorirt. Vikar Prusse.

2. **Deutsch.** 2 St. Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke nach Remacly. Deklamation von Gedichten (Balladen von Göthe und Schiller). Tropen und Figuren. Elemente der Poetik. Korrektur der dreiwöchentlichen Aufsätze. Koenig.

3. **Latein.** 8 St. a) Caes. de b. Gall. lib. V, VI; privatim und cursorisch lib. VII, VIII. (z. Th.); Justin. hist. phil. lib. I, II; memorirt Caes. d. b. g. lib. V 24—38, VI 11—29. b) Erweiternde Wiederholung der Syntax und der Formenlehre nach Schultz. c) Uebersetzungen aus dem Deutschen in's Lateinische nach Schultz und Extemporirübungen. d) Korrektur der wöchentlichen Extemporalien und Exercitien. Koenig.

2 St. Ovid. Met. I, 1—163. II, 1—328. VIII, 611—825. XI, 410—748. Gegen 100 Verse wurden memorirt. Dr. Gotschlich.

4. **Griechisch.** 4 St. a) Xenoph. Anab. lib. III, IV; b) Vollendung und Repetition der gesammten Formenlehre; c) Uebersetzungen nach Enger; d) Zweiwöchentliche Exercitien und Extemporalien. Koenig.

2 St. Homers Odyssee l. IX und X, 1—306. Mehrere Stellen wurden memorirt.
Dr. Gotschlich.

5. **Französisch.** 2 St. Lektüre. Les aventures de Télémaque par Fénelon. l. VI, VII mit Berücksichtigung der wichtigsten syntaktischen Regeln. b) 1 St. Grammatik. Wiederholung der Pronomina, Lehre vom Verbum, die unregelmäßigen Verba. Korrektur der häuslichen und Klassenarbeiten. Dr. Albrecht.

6. **Geschichte und Geographie.** 3 St. Deutsche Geschichte mit besonderer Berücksichtigung der preußischen. 1 St. Geographie der europäischen Staaten.
Anfangs Dr. Hassenkamp, später Genßler.

7. **Mathematik.** 3 St. Geometrie. Wiederholung des Pensums der Untertertia, dann Kambly §§ 111 — 127. Konstruktionsaufgaben. Arithmetik. Kambly §§ 33 — 56. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. Dr. Fiebig.

8. **Naturgeschichte.** 1 St. Mineralogie mit besonderer Berücksichtigung der Krystallographie; systematische Uebersicht aller drei Naturreiche. Dr. Fiebig.

9. **Zeichnen.** 1 St. Siehe Prima und Secunda. Lodahl.

10. **Singen.** 1 St. Siehe Prima.

Unter-Tertia.

Ordinarius: Cötus A. Dr. **Franke.** Cötus B. Dr. **Albrecht.**

1. **Religion.** a) Kathol.: Kombinirt mit IIIa. Flöckner.
b) Evangel. Kombinirt mit Obertertia. Vikar Prusse.

2. **Deutsch.** 2 St. Erklärung von poetischen und prosaischen Musterstücken; Uebungen im Deklamiren; Korrektur der dreiwöchentlichen schriftlichen Arbeiten; Uebungen im Disponiren. C. A. Dr. Franke. C. B. Dr. Albrecht.

3. **Latein.** 10 St. Cöt. A. a) Grammatik. 4 St.: Wiederholung der Kasuslehre; Einübung der Tempus- und Moduslehre. Uebersetzungen nach Schultz, Korrektur der wöchentlichen Exercitien und Extemporalien. b) Caesar de bell. gal. lib. I. cap. 1 — 30; lib. II und III. c) 1 St. Lektüre des Corn. Nepos. Dr. Franke.

2 St. Einiges aus der Prosodie und Metrik; Uebungen in der Bildung von Hexametern; Ovid Met. I und II mit Auswahl; memorirt I. 253 — 348, II. 1 — 52. König.

Cöt. B. Lektüre. a) Caes. de b. G. lib. I, II. 3 St. b) Corn. Nepos Themistocles, Alcibiades, Dion, Timotheus, Datames, Epaminondas, Pelopidas. 1 St. Memorirübungen aus Caes. und Nepos. Das Uebrige wie in Cöt. A. Dr. Albrecht.

2 St. Ovid met. l. I. v. 1 — 145, l. III v. 1 — 130. Müller.

4. **Griechisch.** Cöt. A. 6 St. Grammatik: Formenlehre nach Enger's Gramm. bis zu den unregelmäßigen Verben. Mündliche Uebersetzungen nach Enger's Uebersetzungsbuch. Zweiwöchentliche Exercitien und Extemporalien. Lectüre: Xenoph. Anabasis I. c. 1 — 5, 8. Homeri Od. l. IX. v. 1 — 230. Müller.

Cöt. B. a) Formenlehre nach Enger bis zu den unregelmäßigen Verben (incl.) b) Mündliche Uebersetzungen nach Engers Uebersetzungsbuch. Zweiwöchentliche Exercitien und Extemporalien. c) Xenoph. Anab. I, 1 — 6. d) Homeri Od. lib. I.
Dr. Peters, in Vertretung desselben Dr. Schandau.

5. **Französisch.** Cöt. A. 2 St. Grammatik. Wiederholung der regelmäßigen Formenlehre. Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Französische nach Probst. Zweiwöchentliche Exercitien und Extemporalien. Lektüre. Rollin, Hommes illustres de l'antiquité, vies de Xénophon, Ovide et Pyrrhus. Müller.

Cöt. B. 2 St. a) Grammatik. Knebel § 13 — 49. b) Lektüre. Rollin etc. Crésus, Xénophon, Ovide, Cornélius Nepos, Platon. Das Uebrige wie in Cötus A. Dr. Albrecht.

6. **Geschichte und Geographie.** Cöt. A. 3 St. Geschichte der Römer bis zum Untergange des weströmischen Reiches. Uebersicht der brandenburgisch-preußischen Geschichte.— 1 St. Geographie von Deutschland und Oesterreich.
Anfangs Dr. Hassenkamp, später Genßler.

Cöt. B. 1 St. Geographie von Asien, Afrika, Amerika, Australien. Das Uebrige wie in Cöt. A. Dr. Albrecht.

7. **Mathematik.** Cöt. A. 3 St. Geometrie. Kambly's Planimetrie §§ 60 — 111.

Arithmetik. Uebungen im praktischen Rechnen, Kambly's Arithmetik §§ 1—33. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. Cöt. A Dr. Fiebig. Cöt. B. Dr. Bröckerhoff.

8. **Naturgeschichte.** Cöt. A. und B. 1 St. Systematische Uebersicht aller drei Naturreiche. Dr. Fiebig.

9. **Zeichnen.** 1 St. Siehe Prima und Secunda. Lodahl.

10. **Singen.** 1 St. Siehe Prima.

Quarta.

Ordinarius: Cötus A. Oberlehrer Dr. Peters. Cötus B. Gymnasiallehrer Müller.

1. **Religionslehre.** 2 St. a) Kathol.: Die Lebensgeschichte des Heilands. — Wiederholung des ersten Hauptstückes des Katechismus. 1 St. Erklärung des Ritus der hl. Messe und der hl. Sacramente. — Lesung von Thomas de imit. Chr. lib. IV, c. VI—VII. 1 St. Flöckner.

b) Evang.: Die bibl. Geschichten nach Preuß von der Richterzeit an, Nr. 40—65 wurden erklärt und gründlich gelernt, die folgenden Geschichten des alten Testaments nur gelesen. Die jedesmaligen Evangelien wurden, nachdem sie gelernt, erläutert; 6 Lieder und die zum Katechismus erforderlichen Sprüche wurden memorirt; der Katechismus wurde nach den Hauptstücken stündlich aufgesagt. Vikar Prusse.

2. **Deutsch.** 2 St. a) Erklärung poetischer und prosaischer Musterstücke aus dem Lesebuche von Remacly. b) Deklamationsübungen. c) Korrektur der dreiwöchentlichen schriftlichen Arbeiten. Cöt. A. Dr. Peters, in Vertretung desselben Dr. Schandau. Cöt. B. Müller.

3. **Latein.** 10 St. Cöt. A. a) Corn. Nep., Miltiades, Themistocles, Aristides, Pausanias, Cimon, Epaminondas, Hamilcar, Hannibal; memorirt wurde Miltiades. b) Grammatik: Wiederholung der Formenlehre. Aus der Syntax die Lehre von der Uebereinstimmung der Satztheile, vom Gebrauche der Kasus und Tempora. c) Mündliche Uebersetzungen aus Schultz Aufgaben-Sammlung. d) Korrektur der wöchentlichen Exercitien u. Extemporalien. Dr. Peters, in Vertretung desselben Dr. Schandau.

Cöt. B. a) Cornelius Nepos. Miltiades, Themistocles, Aristides, Pausanias, Cimon, Lysander, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Dion. Mem. Milt.. c. 1. 2, Them. 1, Arist. 1. Die Grammatik, wie in Cöt. A. Müller.

4. **Griechisch.** Cöt. A. 6 St. Formenlehre bis zum verb. liquid. Uebungen nach Enger. Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Dr. Schuppe.

Cöt. B. wie in A. Dr. Gotschlich.

5. **Französisch.** 2 St. Das Wichtigste aus der Formenlehre; schriftliche und mündliche Uebungen nach der Vorschule von Probst. Korrektur der vierzehntägigen Exercitien und Extemporalien. Cöt. A. Dr. Franke.

Cöt. B. Wie in Cöt. A. Anfangs Dr. Hassenkamp, später Genßler.

6. **Geschichte und Geographie.** Cöt. A. 2 St. Geschichte der orientalischen Völker und Griechen unter Berücksichtigung der alten Geographie. 1 St. Geographie von Asien, Afrika, Amerika, Australien. Cöt. A. Sckeide.

Cöt. B. Wie in Cöt. A. König.

7. **Mathematik.** Cöt. A. 3 St. Geometrie nach Kambly § 1—60. Arithmetik: Decimalbrüche, Wiederholung bürgerlicher Rechnungsarten. Dr. Bröckerhoff.

Cöt. B. 3 St. wie in A. Dr. Fiebig.

